



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Primi fructus. n. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1597. Missionum, ipsiſque qui eius vicem in Prouincijs gerunt, quàm Rectoribus atque Prouincialibus obseruanda commendamus, à quibus animari atque paternè iuari eos qui Missionis huius curam gerunt in tanto onere perferendo, ad Dei gloriam, cupimus, Seminarijſque & Catholicorum Anglorum caulæ, qui pro fidei Confessione tot & tanta pertulere, omnem à noſtris impendi caritatem quam poſſunt exoptamus. Datum Tiburi. Die 15. Maij Anno Domini 1606. *Claudius Aquauina.*

Regulæ ſeminariorū.

1. Tim. 4 8
2. Pct. 1. 7.

Typographia Audomari erecta

Liber triū Couerſionum Angliæ.

X. His præſidijs munitus *Personius* ſedulam nauabat operam Miſſioni promouendæ augendæque, præcipuo ſtudio paci conſeruandæ inuigilans, nè quâ turbulentorum hominum importunitate aut acerbitate animorum cōmunis caulæ amplificandæ deſiderium intepeſceret: Ac in primis impetrauit vt reſcripto Pontificio firmarentur cōmendarenturque Alumnorum diligētia Regulæ Seminariorū, addita penarū remiſſione ijs qui certos dies feſtos peculiari pietate venerarentur. Tum piarum libros meditationum uocationi ac inſtituto Seminariorum accommodatarum cuique ſtudioſorum cubiculo curauit attribui, quibus ſe cū primū ſurgerent exercerent. *Pietas* enim cū *ad omnia utilis fit*, ſecundum Apoſtolum, tum præſertim *amorem fraternitatis* parit & *in Deum Charitatem*, quemadmodū monet Petrus. Deinde vt *Barreto* Seminarij Duaceni Præſidi deſuncto ſubſtitueretur *Thomas VVorthingtonus*, homo Societati coniunctiſſimus, alijsque adiungerentur pacis amantes, ab diſſidijs uero factionibusque per-quàm alieni. Adderetur præterea è Societate vir grauis qui in Collegio Patrum diuerſans, quot hebdomadis adiret Seminarium illud, adoleſcentum confeſſiones excepturus, & quâ hortatione, quâ conſilio diſſidia in primo confeſſionis ortu oppreſſurus.

Postremò, vt ſuæ gentis hominibus in promptu eſſet librorum copia, tum ad alendā pietatem, tum ad Hæreticorum deliria detegenda, comparatum Audomari prælum cum omni neceſſario inſtrumento, commiſit pio Sacerdoti *Ioanni VVilſono* (qui illi fuerat Romæ Amanuenſis) vt quos accepiſſet libros in lucem ederet. Cautumque fuit more Prouinciarum Societatis vt Cenſores conſtituerentur qui ſcriptos primū uiderent, ſuumque de iis iudicium Romam perſcriberent; vt ueritas argumentis ſolidis elucidaretur, abſtineretur diſtantijs, ac præcipuè ab omni rerum publicarum inconſulta tractatione, quâ Regum Magnatorumue animis exacerbatis Religio detrimentum pateretur. Primisque annis, cū huius temporis Hæreticorum peruerſitas, ex odio aduerſus ſedem Apoſtolicam trahens originem, nullum non moueret lapidem quo Romani Pontificis dignitatem peſſundaret & tolleret uenerationem; atque nè Romanis tantum debere uideretur Anglia quantum paſſim Catholici prædicabant, quidam inter ipſos ſcioli conarentur primam fidem in hanc Inſulam non Româ ſed ex Græcia deriuare; hæc fabula quàm eſſet inanis oſtendit *Personius*, contextâ historiâ Angliæ ter conuerſæ ad eos ritus quos ſemper Catholica Romana Eccleſia coluit, coletque ſemper, primū uidelicet ſub Apoſtolis Petro & Paulo; ſecundo, ſub Eleutherio Pontifice,

miſis

missis Roma Fugatio & Damiano ad Lucium Regem; Tertio sub Magno Gregorio destinatis Augustino & Sociis ad Ethelbertum; simulque demonstrat eandem fidem Ritusque eosdem propagatos usurpatosque ad hunc usque diem, neque Pelagianorum astutiâ, neque VVickedfistatum recentiorumque absurditatibus, neque persecutionum vllâ violentiâ aboleri potuisse; Errores denique si qui irruerunt, nullo nexu, nulla successione coaluisse, iunctaque deinde confutatione Calendarij seu indicis quem *Ioannes Foxius* pridem confecerat, vt suorum Hæreticorum contumaciam constantiæ Catholicorum Martyrum coæquaret, opus exegit absolutissimum, cui nemo aduersariorum quidquam reponere aulus est. Nullus fere abiit annus quo vel ab ipso conscriptus, vel ab alijs de ipsius sententia liber aliquis non prodierit, magno Catholicorum emolumento, heterodoxorum confusione & dolore. Et hæc quidem foris agebantur quò & volentium mentes sanari possent, & ab innoxijs impudentia mala remouerentur. In Anglia vero non minus strenuè à nostris deludatum est.

XI. *Personio* in Hilpanias cogitante anno post octogesimum octauo, destinatus in illam vineam fuerat cum *Odoardo Oldcorno Ioannes Gerardi*. Hic in comitatu Lancastrensi Catholicis ac Nobilibus ortus paruitibus, quindecim annorum puer studia inchoauerat Oxonij, sed cum Cœnæ Caluinisticæ particeps esse nollet in Paschate, relicta Academiâ, & domi aliquamdiu institutus, transmiserat in Gallias, Rhemisque multa de Societate *Iesu* audierat narrante quodam valetudinis causâ Româ dimisso; itaque concessit Lutetiam Parisiorum, tum de hac viuendi ratione plura vt disceret, tum vt Latinæ Linguae studio diligentiori Philosophica in Collegio Claromontano coniungeret. Primo statim anno morbo graui afflictus, vbi convaluit proficiscitur cum *Thoma Darbishier* (quo utebatur Directore) Rhotomagum ad *Personium*, aperitque ardens quo flagrabat Societatis ingrediendæ desiderium. *Personius* laudato pio adolescentis animo, suadet valetudini confirmandæ & rebus cum amicis componendis natiuum solum paulisper reuolat.

Paret: Anno euoluto cum rediret, quinque dierum passus iactationem, ventorum vi illatus Dorobernium, ductusque Londinum, Auunculo primum Hæretico, tum Episcopo Londinensi datur peruentendus; reque ad Senatum Regium delata (quod illi operam perderent) summo Tribuno militum traditur in custodiam. Anno altero octingentorum aureorum impositâ mulctâ liber nauigat & Romam contendit cum *Guilielmo Holto*, recenti ex Scotia, futuro Seminarij de vrbe Rectore; Huius, & *Personij* consilio (ad tempus prætermisso de Societate ineunda conatu) ad Sacerdotium celerrimè propter aduersum valetudini Cœlum se disponit, auditis quæ de Conscientia dirigenda traduntur quæstionibus.

Ioannis Gerardi initia
Hic est qui
in Belgio
Ioannes
Tomsonus
vocabatur.

In Angliâ
tendit Sa-
cerdos.

1597. Nè verò eorum esset inexpertus per quæ Societatis tyrones probantur, seruebat per interualla in culina Seminarij, Xenodochia inuisabat, & humiliora alia, nonnullis adiunctis similis propositi socijs, obibat. Tum paulò antequam Classis Hispanica aduersus Angliam solueret, Cardinalis *Alani* auctoritatem secutus, *Claudio* etiam *Aquauina* consentiente, iter occupauit; ab hoc in Societatem admissus die altero post idus sextiles. Basileæ Sacerdoti Apostatæ origine Lotharingo suasit vt omnia pellice, & illicito cui incumberebat lucro, ad rectam se reciperet vitæ semitam, tulitque quas scripsit veniæ deprecatorias literas ad Episcopum. Præteritis silentio Rhemis atque Parisijs, Augium delatus, quanquam liberum ei fuit per *Aquauinam* & *Personium* in eo iuuenum conuictu præstolari quietiora tempora, conductâ nauî cum *Oldcorno*, & duobus è Rhemensi Seminario Sacerdotibus, (claris deinde in Septentrione Martyribus) nocte pluuiâ sub finem Octobris exscendit; & seiunctus à socijs, Aucupem simulans deperditum quaritantem accipitrem, vitatis per auia excubiis, Dei prouida bonitate difficile iter administrante, peruenit Nordouicum, acceptaque ab nobili Catholico veste noua, & equo, Londinum progressus tradidit se *Henrico Garnetto* nostrorum Superiori erudiendum. Quo in primo itinere non suâ solus industriâ *Gerardus* discrimini ereptus est, sed consuetâ huiusmodi in periculis de Cælo protectione adiutus defensulque. Post noctem enim illam primam per agros ductam in pluuiâ & frigore Autumnali insomnem, & diei sequentis errando toleratam famem, altero die non procul Nordouico sistitur Toparchæ examinandus; Is forte in Templo concioni intererat, iubetque introduci *Gerardum*; Eo recusante; Quid? inquit, non vis Dei Verbum audire? non est hæc ad gratiam tibi conciliandam via; ingredi: Persistente *Gerardo*, egreditur tandem dimissa concione Toparcha commotior; & vultu severo, vnde, inquit, tu? & cuius rei gratia? Respondet *Gerardus* quæ opportuna videbantur ad fidem faciendam, aliâ de causâ se eo loci non esse quàm vt aberrantem Domini sui accipitrem indagaret: At ille multa de domicilio, multa de conditione viuendi interrogans, ad Irenarcham perducendum decernit.

Dei prouidentia eua-
dit.

Et quidem si necessarium id esset, non grauâtè iturum se fingebat *Gerardus*; diuturnam tamen suam à domo absentiam festinatione egere potius, quàm hac mora; gratam rem facturum Toparcham si absque grauiore molestia abire sineret; esse enim uerò tempora per se suspiciosa, sibi tamen nihil suspicionis adhærere meritò posse rectè à Nordouicum proficiscenti. Cui, cum fixis eum oculis iustasset vndeque Toparcha, mutatâ repenti sententiâ, vade, inquit, in nomine Domini, viri honesti speciem præferenti nolo grauior esse.) Hic primus ad securitatem gradus. Abentem præcedebat equus cum onere, quem cum properando assequi non posset accidit vt decedente onere assequeretur. Ab hoc rursus plura explicatus est quæ

est quæ vsui fuissent si iterum in Excubias incidisset, edoctusque præterea ab eodem est de hospitio opportuno non procul à porta ciuitatis. In illud hospitium post aliquantam temporis morulam ingreditur antiquæ fidei Catholicus, qui & multa Religionis causâ in vicino carcere sustinuerat, & dux fuit *Gerardo* ad Nobilem illum à quo vestem primam equumque accepit, vt Londinum veheretur. Ita incertum itineris nostrum hominem (vt qui illas Angliæ oras nunquam aspexerat) direxit Deus ad metam messemque quam primam à *Gerardo* colendam destinarat.

Primi fructus post exscentionem

Ad festa enim Natalitia reuersus in Norfolciam, eius à quo primum exceptus fuerat domo fratrem, sororesque duas Catholicis adiunxit. In vtrisque accidit quidpiam memoriâ dignum. Nam alteri à puerperio grauius laboranti, & à medicis desperatæ, cum facta esset spes Sacrosancto viatico & vinctione extremâ munitæ reddi posse sanitatem, eâ Sacramentorum virtute intra horæ medium securâ, non illa solum in fide quam recenter susceperat confirmata est, sed inexpectata salus admirandum maritum re cognitâ impulsit vt & ipse fidem Catholicam amplecteretur. Alteri de via ad Cælum inter tot sectas securâ sollicitæ, Doctor ex Cantabrigiensi Academia celebris quanquam Aatholicus cum serio rogaretur, occultè in aurem dixerat viuere illam posse quidem iucundius in ea Religione quam Regina, & in Anglia plerique profitebantur, at si salua esse æternum vellet Catholicè moretur. Prouida mulier *Gerardi* consilio, rem eius momenti non existimauit in horam tam incertam differendam, ne quod Doctore deinde contigit, serius experiretur Dei iustam indignationem. Is enim præcognitam postponens salutis viam, cum aliquando opipare apud PseudoEpiscopum cænasset, subito sublatu aberrauit à termino quem mulieri verè dixerat futurum salutarem. Capita deinde familiarum his in Regionibus supra viginti Ecclesiæ gremio reddidit: Inferioris conditionis quam plurimos. Apertâ tamen, quâ in ea domo vti necesse erat, & omnium horis, omnium aditibus & studiis obnoxiam viuendi rationem pertæsus, opportunè incidit in nobilem iuuenem magnarum possessionum heredem, qui cum per exercitia spiritualia pie viuendi proposita concepisset, vt à quo initia acceperat huic reliqua deberentur, à *Garnetto* obtinuit vt apud se *Gerardus* habitaret. Traditâ igitur prioris Missionis curâ alteri Sacerdoti, isthic & horæ illi fuere certiores, & studia ordinata, & per interualla excursions. Inter quæ per eadem rerum spiritualium commentationes (quarum erat *Gerardus* diligentissimus cultor & administrator accuratissimus) peperit Societati *Thomam Euerardi*, & *Guilielmum Starkey*, & *Robertum Standish*. Hi duo sub his nominibus, quanquam fratres vterini, latere cupientes, Romam profecti, admissi sunt septimo calendis Iunias: & *Robertus* quidem anno Tyrocinijs vno non expleto ad Angelorum Societatem euocatus est, vnius & viginti annorum iuuenis optimæ spei; *Guilielmus*, postquam humanioribus & Philosophicis dedisset operam Cantabrigiæ, ac nouem deinde annos iuris prudentiæ, agro locupleti di-

Doctor Pearne.

Eius industria in tradendis Exercitijs.

Guiliel. & Robertus VVise-man.